UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Praefatio Auctoris Cvm Nvminis Imploratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

ANNALES ECCLESIASTICI.

AD ardua miro quodam tunc aſſurgit animus impetu, cum de diuino auxilio ſpem concipit haud dubiam; qua roboratus Apoſtolus, *Omnia poſſum*, inquit, *a in eo, qui me confortat.* Ideoque ne gracilis natura hominis ſub oneroſo faſce ſuccumberet, & labores, quos præſertim ſupergredi vires ſentit, conſternata paueſceret atque refugeret: magnum illud olim Patriarchæ Iacob b oſtenſum eſt ſignum de ſublimi, atque laborioſæ ſcalæ conſcenſu, cum ad ſcandentium auxilium miſſa cœleſtis militiæ copijs ipſos adminiſtratorios c ſpiritus, Angelos deſcendentes, aſcendenteſque conſpicit, pariterque ipſum Dominum ſuper ſcalam innixum, vigilem inſpectorem, auxiliatorem fortem, remuneratoremque fidelem: quò de ſuperna prouidentia certi, de diuino auxilio minimè dubitantes, atq; de perenni retributione ſecuri mortales, omnes difficile licet immortalitatis iter per ardua virtutum, alta petentes, arriperent, atque obuios quoſque labores facile ſuperarent.

Quod igitur noſtra iſta Annalium ſcriptio ſcalæ aſcenſionis ſimilitudinem referat, dum per annos ſingulos, ſingulis veluti diſtincta gradibus, res geſtas enarrando attollitur: pateſt, vt in ea poſiti, ſurſum ad Deum, vnicum propoſitum nobis ſcopum, mentis oculos fixos habentes, precibus ab eo diuinum auxilium imploremus, Angelorumque occurſum cum ſecuturo ſanctiſſimæ Dei Matris. Adſit ergo ipſa, quam interpellare conſueuimus, vna cum obuiis Angelis Dei genitrix Virgo MARIA: deſcendat, vt ſubleuet; aſcendat, vt eleuet, manuque prehenſans ducat, atque perducat tandem ad eum, quem fide cernimus ſuper ſcalæ verticem præſtolantem Dominum, laborum noſtrorum finem, requiem, atque coronam.

IESV CHRISTI

Annus 518.

HORMISDÆ PAP. Annus 5.	IVSTINI IMP. 1. THEODORICI REG. 26.

DEcurſis rebus geſtis anni quingenteſimi decimioctaui Redemptoris noſtri vſq; ad ſeptimum Idus Iulij, quo contigit obitus impij Anaſtaſij Imperatoris; quæ ſunt reliqua anni eiuſdem, ſub conſulatu Magni atque Florentij, proſequamur; atque noui, eiuſdemque maxime pij Imperatoris auſpicijs nouum hunc ſeptimũ ordine Annalium tomum feliciter inchoemus; cum pulſis tenebris atræ noctis impietatis, tandem fidei Catholicæ radij Orientali Eccleſiæ illuxerunt. Sed quomodo id factum ſit, videamus. I. IVSTINVS IMPERAT.

II. Qui depoſuit potentem d de ſede, idem exaltauit humilem, & de ſtercore e erexit pauperem, collocauitque cum principibus populi, vt ſolium gloriæ teneat. Etenim Iuſtinum f poſt Anaſtaſium ex ſtabulo (ſi primordia eius repetas) ad Imperii ſublime faſtigium euexit; cum primum videlicet ex porcario ſiue armentario gregarius miles, & inde vbi in militia virtutum meritis, fide Catholica præuia, qua pollebat, primos duxiſſet ordines, Prætorianorum præfecturam accepit, atque demum Imperator effici meruit, de quo præterea Euagrius g ex Zacharia Eutychiano iſta depromit: *Poſtquam Anaſtaſius ex corporis ergaſtulo ad præclarius domicilium (vt dixi) demigrauit, Iuſtinus genere Thrax, nono menſis Panemi, qui à Latinis Iulius nominatur, anno autem quingenteſimo ſexageſimo ſexto, ex eo tempore, quo vrbs Antiochia primum illud nomen accepit purpura induitur Imperatoria, & a militibus Prætorianis, quibus ante cum eſſet Præfectus ordinum Aulicorum præfuerat, Imperator declaratur. Qui quidem ad iſtam Imperatoris dignitatem præter omnem ſpem propterea aſcendit, quod multi, & præſtantes viri cum Anaſtaſio cognatione coniuncti adhuc ſuperfuerant, qui cum omnibus rebus, quas proſperæ & beatæ vitæ ſtatus poſtulat, abundare videbantur, tum eam conſecuti potentiam, quæ homines in tam amplo honoris gradu locare poſſit.* Cæterum inuitum ac renitentem Iuſtinum ipſum creatũ fuiſſe Imperatorem,

d Luc. 1.
e Pſal. 112. 1. Reg. 2.
f Zonar Annal. To. 3. in Iuſtino.
IVSTINVS EX HVMILI LOCO SVRGIT IN IMPERIVM.
g Euagr. lib. 4. cap. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN